



9945
9w











DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

30
EPILEPSIA.

Q V A M
PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. CAROLI DRELINCURTII,
Regii olim in Gallis Medici, nunc verò in hac
Universitate Professorum Antiquissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almae
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

JOANNES van BREDEROE, AMSTEL.-BATAV.

Ad diem 6 Julii, horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM;
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiae Typograph. MDC LXXXVIII.

*Gravissimis, Spectatissimis, ac
Consultissimis,*

VIRIS,

D. JOANNI RODENBURGH, Societatis
Indiæ Orientalis Præfecto.

D. PETRO RUYL, J. U. D. Apud Amste-
lodamenses Advocato Sagacissimo.

Curatoribus, & Cognatis meis summo ho-
nore ac amore colendis, prosequendis.

Hasce theses Inaugurales

offert

JOANNES van BREDEROE,

Author.




DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

EPILEPSIA.

THESIS I.



Ἐπιληψία, ἐπὶ τῇ ἄπληρωμένῳ, ἐὸν quod subito prehendit, derivatæ epilepsiæ, tam antiquitus receptis, quàm quotidianâ renovatis experientia, symptomatis horridæ, Inaugurali pro exercitio placuit Historia. Subitam enim ac ex improvise hominem prosternentemque vim, indeque sensuum omnium repentinam obfuscationem, totius corporis variam intorsionem, membrorum omnium impetuosam jactationem, cæteraque omni torvitate, ac horrore, se manifestantia signa, sufficientem scopo meo suppeditatura ratus sum materiam. Qua re aggressus opus accuratam, morbi Symptomatum supputationem præmittendam judicavi, ut ex illa morbo cognito facilior causarum evadat inventio, ac tandem curatio, causis applicata, feliciter succedat.

A 2

II. Hujus

I I.

Hujus itaque affectus fulmine ictus, vertiginosus, anxiosus, que diffuso per vultum pallore, subito, aliquando, nihil de paroxysmo cogitans, aliquando auræ cujusdam adscensione, de hostis adventu præmonitus in terram præceps ruit; tunc sensibus internis, orbatibus & externis, vehementibus, omnium artuum agitur convulsionibus os firmiter claudit, manus recludit pollicem Volâ, ac jam ridenti, jam torvo, defixis in adstantes apertisque oculis, omnes, cum nihil videt, intueri videtur: quo tempore spumantem, ex ore naribusque, copiosumque excernit mucum, semine, alvinis fecibus, urina involuntariè excretis fætidissime conspurcatur, cum interim, totum corpus sudore madeat, disfluatque, frigido; quibus omnibus jam longiori, jam breviori temporis spatio afflictus detinetur miser patiens, donec, tandem discussio paroxysmo evigilatus, tertiam symptomatum persentiscit syndromem: defatigatus enim valde, sitibundus, à capite intense gravatus & dolens, totiusque corporis ossifrago molestus dolore, resurgit, quando, huc illucve respiciens, in capite præsertim ex vehementi, in dura, tempore ingruentis paroxysmi, allisione magna observat calvariæ vulnera: & quando jam altioribus actis radicibus hic morbus frequentius oboritur, ac obortus longioribus paroxysminis agrum gravat, tunc amentia, paralyfes, oris strabismus, membrorum distorsiones, Atrophie &c. hoc ex fonte emanare solere ordinario observantur. His itaque cursum Epilepsia absolvit, his etiam jam causam inveniamus, ex qua omnis hic symptomatum nexus ordine sequitur.

I I I.

Quod antequam aggredimur in transitu videmus, eum, una sua parte, qua sensus omnes subito pessundat agrotantis, eum ex improvise in terram conjiciendo, Apoplecticorum, Caroticorum, ac aliorum soporosorum, præ se ferre speciem. Sed, extemplo prostrati exurgens convulsio, membrorum quassatio, quid hunc ab aliis distinguit quàm clarissime exhibent. Conventientia autem quæ intercedit hunc inter, & passionem hystericeam, ac suffocationem hypochondriacam, facilisque eorum in nostram naturam transitus, nullum nisi quoad gradus discrimen ponendum indigitat. Gravior enim hysterica passio, hypochondriorumque suffocatio, sensim ad Epilepsie vehementiam assurgit indo-

indolemque; usque dum, vel utero vel hypochondriis continuo, sanguini Epilepticam auram mittentibus tandem eidem naturæ, agendique mori tradantur. Quibus in transitu perspectis jam porro ad causarum inveniendarum methodum viam nostram flectamus.

I V.

Quoniam itaque ex recensitis signis motus convulsivos, sensuumque abolitionem, conjunctim agentes, ea esse, quæ morbi constituunt naturam, & quibus ab aliis distinguitur, cætera vero ex illis fluentia solummodo comperimus, ideo ut horum causa detegatur, necesse judicamus, quare ut rem rite absolvamus quid sit sensus, quid motus & quomodo peragantur, præmittemus, ut inde tandem facilius, illorum abolitio ac hujus depravatio elucescat.

V.

Ut itaque rem ordine peragamus, sensus, motusque, arbitrarii cerebro in hære sedem ab innumeris demonstratam opinionem, veram supponimus. Et non totum cerebrum illis inseriendis adesse, sed in eo peculiarem quandam partem, in quocunque hæreat illa loco, omnem objectorum actionem recipere, omnem motum perficere atque ita sensorium commune in homine agere.

V I.

Quæ cum ita sint à sensu incipientes videamus 1. qualia ei inserviunt instrumenta. 2. Quomodo peragantur.

Experientia testante, immobile stat argumentum nervos, sensus motusque primaria esse instrumenta, rescissis enim nervis perit sensus, perit motus. Certo indicio quicquid circa hos peragitur, id nervis deberi, id iis perfici. Hæc jam instrumenta examinemus & quæ nam sit eorum constitutio, qua apta huic actioni redduntur, perspiciamus. Unanimi proclamant ore prolongatum cerebrum esse nervos, anatomici, quapropter nos iis assentientes, ut veram demus nervorum structuram, 1. cerebri partes percurremus, 2. Substantiam dissolvemus, ac 3. ex illa nervos elongabimus.

V I I.

Anatomico dissecto cultro cerebrum principalioribus suis

occurrit partibus, duplici sc. membranâ, durâ, piâque matre, sanguineis refertâ vasis, investitum quæ ubi cerebrum in duos lobos dividit, complicatione sua, sinus 4 efformat sanguinis è cerebro, in venas jugulares, reductores. Lobis itaque duobus ab invicem quodammodo diductis statim occurrit corpus aliquod, duriusculum Callosum dictum: Quo refecto se in conspectum præbent terni ventriculi, his in hæret plexus choroides, innumerabilium ramusculorum, arteriosorum contextus, ortum arteriæ jugulari internæ debens. Harum trium inhæret cavitatum, Medio, glandula pinealis, testibus, natibusque juncta. Hæ itaque partes sunt principaliores quas nobis exhibet anatomica disquisitio, ultra quam hoc circa illas dicendum habemus, 1. Ventriculos ternos recensitos, unum tantum esse considerandum. Eorumque 2. Internam faciem glabram, atque accurate ad oculum politam esse innumeris foraminulis pertusam. 3. Cerebri substantiam, tam medullarem quam corticalem, nihil aliud esse, quam contextum innumerabilium filamentorum, quorum omnium principium à ventriculo illo delineato deducitur, indeque porro omnia vel intra cranium protensa cerebri substantiam componunt, vel extra idem, huic illive subjectæ parti annexa, cerebri prolongationem s. nervos propositos exhibent. Hæc autem filamenta ita sibi invicem imposita, ex mollibus, ac flexilibus fibris contexta, relinquere inter se tubulos innumeros ductulos angustissimos, variis mollibus istis, ac facile flexilibus, quamdiu nullo alio corpore fuerunt separati, refertos. Quibus cognitis nervorum interior structura jam facile cognoscitur, hæc enim filamenta hi tubuli, extra cerebrum prolongati, statim duplici illa, quâ cerebrum investiri vidimus membrana complectuntur, ac uniuntur, hinc ex innumerabilibus illis tubulis, unus major compositus innumeris osculis hians in cerebri ventriculos ac partibus inferioribus alligatus, nervus dicitur. Cujus itaque ut filamentorum cerebri interstititia, sic omnes tubuli, tenuibus filamentis leviter recluduntur. Atque ita & cerebri, & nervorum structura delineata nos ulterius ducit, nam cum hæc filamenta per se sunt immobilia, & aliud requiritur, quo mobilia redduntur, ac ab invicem separantur, restat ut quale illud sit inveniamus.

V I I I.

Cum enim ex assumpto omnia illa filamenta valde tenuia sunt, ac per consequens spatia ab iis relicta tubulosa, valde parva, hinc illud quod ea ingredi, eminentias inflectere, ac ramenta illa ex tubulis tollere debet, etiam esse valde subtile, agitatam ac fluidum oportet. Quale cum nullum in corpore nostro sit, præter spiritus animales, eos tanquam tertium id, inflans, tubulos, distendens ventriculos, ac ramenta inflectendo eosdem pervios reddens, consideratos volumus, ac proinde eorum generationem, ac usum latius paullo deducemus.

I X.

Sanguis itaque, omnis, qui in corpore unquam deponitur, humoris, fons, & scaturigo, indefinente sua, qua variis munis adstat, particularum per circulationem suam à se, depositione, ac per consequens, molis suæ depauperatione, à primò, ad ultimum vitæ halitum, continuo indiget sustentatione. Hinc in ventriculo, fermento, acidis, salinisque fixis ac volatilibus, oleosis, terreis, & aqueis, omnibus æquilibrio accuratissimo, ita ut nec acidum alkali, nec hoc illud exsuperet, sed unamini concordia agitatam, à sale volatili, acidum, utrumque terra, oleo ac aqua, temperatum ac combinatum, requisito adstet unio, unitis, vellicatis nervis suo numero indefinitis, brevitate, atque rectitudine suis valde sensilibus, in cerebro famis causatur appetitus. Ex hoc cibi sumendi desiderium; ac dehinc subsequens, eorum assumptio, & Masticatio, ex saliva maceratio, ac tandem per œsophagi membraneum tubulum, in ventriculum protrusio, ac deglutitio. Quo cum per venerint statim, versâ, à nervis, in cibos, fermenti vi, eorum partes ab invicem separantur, dividuntur, ac ætheris transfluxu subtilioris, ita agitantur, ut tandem in albicans fluidumque corpus mutantur, quo tempore, diaphragmatis deorsum motu, ac spiritibus, refractione contentæ molis, via in fibras datâ, contracto ventriculo, expellitur generatus ex cibis liquor, in intestinum, duodenum, hic sive bilis, & succi pancreatici effervescentiâ, sive solâ bilis admixtione ulterius depuratus, ac fluidior factus excipitur ab innumeris in tunicam bombycinam hujus ac insequentium intestinorum, hiantibus vasorum lacteorum osculis, per quæ primò, vel lymphæ ad cor reditu (sunt enim vasa lymphatica)

tica) vel ipsius liquoris continuato motu, vel viscerum concussione, defertur ad pancreas asellii, dehinc in receptaculum commune, ad tandem per ductum Thoracicum ac venas subclavias.

X.

Huc cum pervenerit sanguini tam à superioribus descendentem quam ab inferioribus ascendenti, lymphæq; à circumferentia corporis refluxæ paulo post miscetur: ac cum illis aperta valvula cordis tricuspidi in thalamum dextrum prolabitur, in qua particularum heterogeneitate, ac ex illa profluentis ætheris primi elementi incitato transfluxu fermentatus, ac imixtus, statim thalami cavitatem sua rarefactione amplificat, ac nervos solito vehementius concutit, hinc spiritus animales copiosius ad fibras musculosas cordis alliciti, eas contrahunt, ac mucronem ad basin trahendo, ventriculumque plane coarctando, molem illam per arteriam pulmonalem in pulmones expellunt.

X I.

Quos cum pervadit, inspirato aëre rarefactis ac distensis pulmonibus, continuo in transitu ventilatur, ac aëris moleculis gravatur, donec circulo facto in venam pulmonalem, ac dehinc aëreis gravis particulis subtilioribus, in sinistram, transfusus, cordis thalamum, denuo fermentationem subit vehementiorem prædictâ cui insequenti cordis contractione expellitur in arteriam aortam. Hinc subtilior ejus portio majorem conatum, motus sui per lineam rectam continuandi habens, per rectitudinem arteriæ carotidis sursum volat, in qua, variis ramusculis lateralibus, exceptis crassiusculis, subtilissima tandem portio cerebrum attingit. In quo ex carotide partim in plexum transfusa choroidem, partim in alias ramificationes arteriosas per corticalem substantiam disseminatas, à se per poros illius plexus, subtilissimos singulis pulsibus, in unicum illum ventriculum cerebri, ternis continuis loculamentis distinctum magna in copia subtilissimam sui partem transmittit. Quæ recenti suo ex corde egressu, adhuc vividissime mota, & hinc celerrimo in motu persistens ac sui divisione intimâ, poris amissis omnibus, præter illos, qui primo & secundo elemento hiant soli, solidissima, per dictos ventriculos subtilissimæ auræ more diffunditur, æqualiter, æqualibus ferè constans particulis, atque hæc subtilissima, vehementissime agitata sanguinis portio, spiritus vocantur, quorum jam
in

in cerebrum diffusio quid sensuum productioni adferat videamus.

X I I.

Statim itaque simulac sua mole vividissime ex plexu egrediuntur, spiritus ventriculos illos instant, deinde, ulterius rectilineo, quo ex poris plexus egressi sunt, motu pergentes, undiquaque in convexa ventriculorum parte, foraminula aperta ingredientur, ac secundum filamentorum ductus procedentes, tubulos filamentis illis interpositos ab invicem separabunt, ac suo fluxu molles eminentias inflectent viaeque reddent patulas. porro illi, qui per tubulos, cerebri componentes crassitiem continuo profluunt, ac singulis pulsibus eo protulsi, cerebri instant molem, ac dispersi rursus sublidere sinunt, 1. Eius pulsus perficiunt. 2. Filamenta ab invicem separando memoriae, & sensui interno inserviunt. Caeteri vero, qui per longiora ad partes feruntur aequaliter filamenta, tubulos illorum instant, ac distendunt, & quoniam aequaliter eos versus proripiuntur, hinc tubulos etiam aequaliter distendentes, filamenta illis complexa, tendunt, ac aequali sua ab omni parte pressione, in aequilibrio servant. Et quoniam omne corpus in aequilibrio positum, minima superveniente causa ex illo deturbatur, hinc posita in aequilibrio filamenta, etiam a vel minima causa moveri se sinunt; deinde, cum omnium corporum tensorum elongatio, hoc habet, quod una extremitate mota statim etiam moveatur alia, hinc tensorum, spiritibus filamentorum facile mobilium, una extremitas moveri quin statim etiam alia agitur, non potest. Atque ita spirituum influxu nervi redduntur mobiles, ac ab objectis facile mutabiles.

X I I I.

Moveatur itaque ab objecto interno ad partes protensus nervus, statim mota ac tracta filamenta, actionem illam cerebro tradent, in quo sensorium commune illam recipiens, spiritus eo tempore ad illam ventriculi partem transmittet, in qua facta, fuerat illa mutatio. Atque hoc spirituum fluxu delineata objecti imagine, animae super illud cogitandi suppeditabitur occasio. Atque, hac in actione & reactione sensus consistere puto. Quibus visis ad motus instrumenta progredimur, ut illorum ope, quomodo motus fiat facile possimus cognoscere.

B

XIV. Quan-

Quandoquidem itaque ex experientia, nervis resectis, aut obstructis, sensus aufertur, ita eadem exhibet, iisdem, & resectis perire motum, certo indicio ut sensus, sic & motus primaria esse organa. Sed non tantum nervos requirit motus, sed idem musculosis indigere fibris, experimentis comprobatur, transversim enim resecto, vel obstructo tumore musculo, omnis motus tollitur. Et cum vidimus jam quomodo nervi sunt constituti, quæ eorum structura, restat ut quid musculus sit examinemus.

Anatomicorum beneplacito musculi descripti, constant fibris carneis satis crassis, involutis peculiari membranula quarum principium, caput, medium, ventrem, finem, ex multis nervis congregatum albicans corpus caudam sive tendinem, vocitarunt. Qua textu constans musculus ut membrum moveat inflatur reciproce, sc. tempore motus brachii unus brevior sit altero elongato & sic vicissim. Extra quam functionem aliàs in æquilibrio servantur omnes. Hunc itaque motum, ut accurate exponamus, duos musculos ponamus flexorem unum, alterum extensorem, horum quamdiu æqualiter turgent, neuter movebitur, sed ut unus moveatur necesse est ipsi aliquid accedat cujus interventu, oppositum superat, illud autem, quod ei accedere debet, per nervos ut advehatur requiritur, sed per nervos nihil, nihil sp. transferuntur, ergo id quod æquilibrium tollet, spiritus erunt à cerebro transmissi; sed spiritus cum æqualiter diffunduntur in nervos, ac æquali influxu omnes musculi spiritus æqualiter recipiunt, & proinde nullam mutationem patiuntur, quapropter ut fiat mutatio, necesse porro est ut sit causa, quæ eos ad musculum unum magis, quam in alium, rapit, aut pellic, atque ita illud æquilibrium tollit, illud autem continget, vel si anima è sensorio communi sp. copiosiores transmittat, vel si nervi, quadam ex actione objecti in cerebro ampliores aliis facti, plures sp. recipiant, ac ad musculos transferant, ac proinde diffusionis æqualitatem, vel membrorum æquilibrium tollant. Harum itaque duarum una agat, anima sc. cogitans ex gr. de flectendo brachio, statim huic cogitationi succedet influxus spirituum in musculum flexorem, sed nervi quoniam angustissimi

gulti ac valde tenues sunt, tanta eorum copia non allicietur ut musculum illum penitus valeant inflare, sed solummodo suo accessu, alios inflexore contentos in vi incitantes, ac musculum magis distendentes æquilibrium tollere. Quare flectitur statim quidem brachium, sed leviter solummodo, ut itaque flectatur pro voto necesse est ut musculus penitus turgeat & proinde spiritus aliorum accedant, sc. ex musculo opposito. Per nervos regurgitando? minime, obstant enim in iis deflexa spirituum impetura ramenta quæ hac regurgitatione erigerentur & transitum præcluderent. Ergo per alias vias tubulos sc. in cauda musculi aut alibi positos, ossibus adhuc dum mollibus, spirituum cursu generatos, valvulis peculiari modo constitutis præditos, ita se, ut tempore transfluxus spirituum in flexorem ejus, erigantur ac leviter deprimantur extensoris valvæ. Quibus ita positis sequenti modo absolvetur quando motus enim, ex animæ determinatione immittantur in musculum flexorem spiritus, statum eorum interventu, actio ejus musculi roboratur, ac proinde in longitudine abbreviatis, in latitudinem vero distensis fibris, ad circulum accedente propterea ventre, os, cui alligatur, mobile in acetabulo suo, Nequeens resistere fibrarum illarum tractioni, attolletur, hinc fibræ extensoris, hac flexura elongatæ, à circulo magis recedunt, ac spatium inter se reddunt minus, quare sp. compressi cum tam cito per infinitos pororum mæandros avolare, nec per nervos ob dictam rationem regurgitare valeant, per tubulos illos in flexorem transibunt, nam cum ex sublato æquilibrio, unæ valvæ erigantur, ne spiritus extra illum musculum prorumpant. Aliæ vero deprimantur, ut spiritus intra extensorem contenti in flexorem transeant, hinc spiritibus illis, viam exeundi quaerentibus, per eas datur in flexorem via; qui propterea distensus valde, membrum flectit: Ut autem hæc flexio perduret, continuo transmitti à cerebro spiritus dispersarum locum replentes debent; utque membrum rursus extendatur, ut anima sp. in extensorem determinet, necesse est, quando eodem, quod in flexore accidit, eveniente, spirituum sc. ex Antagonistâ in hunc transitu, ac propterea musculi distensione, sive ad circulum accessu extenditur membrum; atque ita hoc fluxu spirituum à cerebro, ac ex uno musculo, in alium, distensionem reciprocam causante, motus perficitur ex his itaque facilis conceptu erit quomodo

modo motus ille hoc in casu tam vehèmenter vitietur, ac sensus in totum aboleantur.

X V I.

Hac itaque normâ constituti sensus motusque, eorum requisita valde necessaria erunt seq. 1. Ut spiritibus nervi scateant, tendantur, ac mobiles serventur. 2. Ut pateant orificia in cerebro, 3. ut sensorium commune valeat, sp. determinare. 4. Ut spiritus ex uno musculo fluere queant in alium, atque ita ex his erit manifestum, quando sensus abolentur, vel spiritus penitus deficere, vel nervorum principia esse obstructa, vel sensorium commune non posse determinare spiritus quaquaversum, quæ cum fiunt nervi objecti immobiles redduntur, spiritus à cerebro non transmittuntur in musculos, quare nec per cerebri breviores tubulos sui cursus vestigia amplius imprimere transeundo queunt, quare tunc perit motus, periunt omnes sensus. Verum priusquam id nostro applicemus negotio, primùm videamus, qua ratione, motus ille convulsivi oriuntur, ut ita causa illorum cognita junctâque sensuum abolitionis origini, vera & continens inde resurgat, morbi nostri causa.

X V I I.

Quem in finem motuum convulsivorum aspicientes actionem, videmus eos nihil aliud esse quam vehèmentes musculorum, ac membrorum ad principium tractions involuntarias longius vel brevius durantes; atque ideo eosdem, videm esse, quoad naturam, quod convulsio, sed ab ea gradu duntaxat distingui, ita ut illa tractio, quæ in his tantum brevior est, in convulsione sit continua & diuturnior. Quibus perspectis, facilius causarum ex motus descriptione tam convulsiois, quam horum motuum erit deductio. Ut enim musculus ad principium trahatur, requiritur ejus inflatio, & ut rursus restitatur, ejus elongatio, & oppositi e contra distensio, & per consequens, cum hæc à spiritibus perficiatur, eorum per descriptos tubulos delineato modo, transgressus; ex quibus patet quando musculus ad principium trahitur, & quando ita trahitur, ut restitui ope mentis nequeat, spiritibus illum esse refertum, sed eos transgredi in oppositum non posse, hinc determinet anima omni sua vi spiritus deorsum, quia propter tenuitatem nervorum tot à cerebro, quot ad super-

ran-

randum illum musculum requiruntur prodire nequeunt, nec qui
 in musculo sunt in oppositum transire, manebit distensus &
 præter mentis voluntatem, producetque convulsio, si autem
 causa illum transfluxum impediens facile tollatur, ac proinde
 musculi rursus subito imperio mentis subjiciuntur, status tamen,
 ille læsus vicissim redeat motus oritur convulsivus. Causa au-
 tem hunc transfluxum impediens, est vel tubulorum obstructio à
 pituita crassa, & tunc difficilior superabilis transfluxus impedi-
 tus, convulsionem producit. Vel nervi unius musculi gravior para-
 lysis, & tunc uno inflari queunte duntaxat musculo, membrum
 ei obsecundabit, ac una, ad principium trahetur, idemque ut ex
 præcedenti oriatur status, si vero levis sit & facilis à cursu spi-
 rituum superabilis non diu durat. Vel si valvulæ detorqueantur,
 ita ut qui antea, prominebant ab una parte apices jam versus
 aliam distorqueantur, tunc nequeuntibus illis, ut spiritus sui
 musculi transgressum præbeant, à spiritibus à cerebro determi-
 natis infecti, illi spiritus retinentur ad inducitur rursus idem sta-
 tus. Vel si spiritus in ordinatè & impetuose è cerebro ruant,
 his musculus inflatus derepente ultra mentis imperium subito
 inflatur, & quamdiu illè impetus durat inflatus manet, nec à
 mentis levi determinatione potest superari, sed quoniam inor-
 dinatus tunc spirituum ponitur cursus, statim rursus alius idem
 pati potest, quare primus hoc impetu liberatus restituitur: vel
 etiam si ab acredine aliqua vehementius nervus vellicetur, hinc
 enim tubuli ejus in cerebro redduntur ampliores, ac plures spi-
 ritus recipiunt, quare vi eorum subito inflato musculo, ac ne-
 vis continuo accedentibus spiritibus, continuante illa vellicatio-
 ne, à cerebro allicitis in distensione servato, inducitur convul-
 sio. Vel si minus copiosi influunt, horum enim, facile valvulæ con-
 torquentur, vi vehementiori, ac musculi subito distenduntur,
 & vehementius, copia majori. Vel etiam à nimia spirituum
 paucitate, qua debiles facti flaccidique nervi collabuntur, qua-
 re spiritus non nisi undique debiliter diffusi, cum tandem ma-
 jori copia in patentiore influunt alligatam illi musculum di-
 stendit, ac distensione illa convulsionem efficit, seu musculi su-
 bitam ad principium tractionem. Horum omnium itaque facta
 consideratione, facilis est porro progressus, sc. non hic obstru-
 ctiones tubulorum, à pituita aut intorsis valvulis, sed obstru-



ta nervorum principia, spirituum copiam impetumque ac acridinem, vel spiritibus mixtam, vel parti cuidam infixam, ac sua vellicatione nervos ad copiosiores spiritus recipiendos disponentem, illud perficere. Ex his jam porro ducimur, ad affectus nostri causam; habemus enim, pro sensu abolito, obstructa nervorum principia, pro convulsivis motibus spiritus inordinate, ac impetuose in musculos præter voluntatem ruentes. Ex his itaque jam causam sequenti modo deducimus.

X V I I I.

Causa Epilepsiae est subita principiorum nervorum in cerebri ventriculis existentium levior à materia viscosa, acridinem nervos vehementius vellicantem, ac spirituum motum incitantem, inordinateque disponentem, conjunctum habente, obstructio; ex hac fluet symptomatum omnium demonstratio, ex hac jam sponte omnium aegri cruciatuum causa emanabit. Sed priusquam eo versus oculos flectamus, primo examinemus quomodo hæc causa, naturæ morbi satisficiat.

X I X

Obstructa nervorum principia ex thesi xvj. tollunt omnem sensum, ac vellicans nervos acridine spiritus in musculos impetuosius ac inordinatius rapit ut thes. xvi i. docet, impetuosius inordinatus spirituum cursus musculos præter voluntatem distendit eadem id exhibente thesi. Quapropter simulac ex viscoso phlegmate obtantur nervi, ac Aeger subito inde in terram, orbatus sensibus, prolabitur, statimque acridine illâ vellicatis nervis, impetuose incitati spiritus, per ventriculos hinc inde cum vi ruunt ac in obstructions impetunt: nervorum principia concussa, viscosas illas particulas dejiciunt, spiritusque undique transitum querentes ulterius sua vi illas obstructions destruunt, ac servato impetu deorsum exeunt in musculos, qui eorum accessu subito inflati membrum ad principium trahunt, seu convellunt ut thes. xvii. Vidimus, sed quoniam statim, aperti hi nervi accessu novæ materiæ obstrui possunt, hinc in illo musculo, convulsio derepente, dispersis spiritibus, evanescit, & cum eodem momento spiritibus, suo impetu in alia parte, vel oppositi muscoli, vel multorum aliorum simul, nervorum obstructions referantibus, ac deorsum currentibus, muscoli derepente in aliis partibus corporis subito inflantur, & de novo motus convulsivus producentur, &

& cum id vicissim. Jam in hoc jam illo fiat musculo, hinc membrorum illæ jactationes resurgunt; quæ ideo tamdiu durant, usque dum dispersa est viscositas, ac non amplius in nervorum principia deponitur, & acredo nec spiritus irritat, nec nervos vellicat: Tunc desinet paroxysmus & liberabitur æger atque ita causa hæc, quam accuratissimè morbi respondet indoli. Restat jam ut viscosum illud, acreque, in cerebro peccans, perquiramus videamusque unde illa duo, & quomodo in cerebrum deponuntur.

X X.

Quoad primum, non alium fontem, præter sanguinem, his tribuimus ab hoc enim viscosiori, ac vehementius incitato, hæ particula per arteriarum poros propulsæ, ac in cerebri depluentes ventriculos, & spiritibus abreptæ, sua crassitie per angusta foramina, progredi nequeunt nervorum obstruunt orificia, atque ita causæ partem primam qua labitur æger produunt. Agitat autem sanguinem fermentum aliquod, illi allatum vel ex partibus solidis, vel ex obstructis visceribus, aut primis viis, in quibus multæ particula crassiores, & viscosæ acidis plurimis foetæ, stagnantes, sua stagnatione quoad poros & particularum dispositionem immutantur, quare ætherem alio modo, quàm sanguinis determinatum vehentes, cum eum ingrediuntur, ex hac diversitate, acidæ illæ particula cum biliosis ac æther harum molecularum, cum æthere sanguinis luctam ineunt, hinc ille exæstuans vehementius, ac ex corde propulsus, cerebrumque advectus, in illius arteriis intensius rarefcit, quare tunica illarum expansæ poros accipiunt majores, ac ampliores, per quos tunc sanguis crassior fermentoque illo acido onustus, à se deponit particulas crassas, & viscosas, ipsisque admixtas acidas, quæ sua fermentativa vi spiritus exæstuaré facientes eorum cursum placidum, in impetuosum ac inordinatum, qualem hic vidimus, insultum vertunt. Atque ita ex sanguine illæ particula descendere solent, ac in illum ex variis corporis partibus ascendere solent: hæ autem partes ex quibus ita provenit vel sensu ipso, ascendente halitu, dignoscuntur, vel signis peculiaribus partes gravatæ, fontis illius fermenti verum exhibent indicium. Nam cum aliquando è ventriculo ascendere ad caput soleat talis halitus, vel sanguini mixtus eo deferri, ventriculus tunc

tem-

temporis in functionibus læditur, perit appetitus, ac gravis in eo sentitur continuo pressio. Si ab intestinis, borborugmi, ac flatibus eadem concitantur, ac rugitibus & murmure, exaudiuntur. Si ab hypochondriis, liene, sc. hepate, pancreate, aut simili, sæpe dolores, gravationesque sentiuntur iis in locis molesti. Jam ab utero in fœminis adscendens, mensium obstructione, sui ortus locum, indicat, atque ita vidimus quomodo illud fermentum sanguini adfertur, quomodo illum exagitat spiritus turbat, & Epilepsiæ productioni inservit. Restat ut, procedamus ulterius, & ad symptomata transgrediamur, ut ita patcat quomodo ex causa nostra emanant.

X X I.

Prima inter omnia prodit vertigo, hæc ægri vacillare faciens caput, morbum inchoat, usque dum statim paullo post omnibus in circulum actis apparentibus, obscuratoque visu, in humum stemit. Hujus rei causa explicatu ardua minimè est, si modo, quid vertiginem externo intuitu causari soleat respiciamus. Movetur celerrimo in gyrum motu corpus nostrum: Vel externa corpora, juxta illud posita, gyrent rapidè circum illud; quid sit? Statim flaccidis factis musculis, in terram prolabitur, repræsentato animæ omnium circumpositorum motus circulo, ejus enim participes spiritus, etiam rapiuntur ea determinatione per ventriculos in orbem: Quare anima eos recta in musculos determinare nequeunte, muscoli illi flaccescunt, corpusque in terram prosternitur duratque ille status, donec anima vim recuperans, spiritus ab illo circulo deflectit, ac in musculos recta determinat. Quidquid itaque, hoc ex casu, circulos describere, gyrare per ventriculos cogere potest spiritus, ac animæ eos recta determinandi adimere potest potestatem, vertiginem producit.

Illud autem contingit: Si spiritus vel sunt crassiores, vel nervi obstructi, vel iidem nimis copiosi, hi in omnibus casibus, placido suo ritu recta omnes in nervos fluere nequeutes, reflectuntur ad pristinum, unde progressi sunt locum, sed resistunt ponè incurrentes quare ad latera ducuntur & in orbem vertuntur per ventriculos, hinc in nervos amplius procedentibus musculi flaccescunt, ac proinde suis amplius insistere pedibus nequeuns, homo in terram præceps ruit.

Et

Et quod hoc hic contingit, id facile ex prædictis patet, crassities enim illa obstruit nervorum principia, hinc incitati ac impetuosi spiritus, ne deorsum ruant, impediuntur, ac reflexi proinde dicto modo versus latera continuando motum in orbem capiuntur, ac vertiginem producant.

Quo tempore sanguis onustus fermento illo peregrino, solito vehementius exasuat, quare ex corde propulsus, pulmones perlans arterias vehementius distendit, quæ sua expansione angustantes ac coarctantes cellulas pulmonum, aëri negant ingressum, atque ita respirationem impediendo, anxium ægrum reddunt.

Ne miretur jam aliquis, ex superioribus convulsivos repetens motus torvo vultu, ridentibusque labiis, sæpe adstantes intuentem ægrum nobis obvenire, quid enim aliud ille visus, quid hæc torvitas, oculorumque fixitas est, quam, musculorum genas, labia, mentum, uno verbo faciem, componentium, ut & oculorum, palpebrarumque motui inservientium convulsivus motus. Hic enim prout in hoc vel illo musculo contingit, illum diversimode ad principium suum trahens, diversum etiam faciei dabit habitum illumque jam blandum jam torvum exhibebit, & incidens in oculos, illos servabit fixos, ac palpebras, etiam inflando apertos.

Nec spiritus illi ferocientes his suam absolvant vehementiam, sed ut in musculis convulsiones, sic in glandulis oris nariumque, inflando cingentes eas membranas, contractiones efficient, quare glandulis illis, annexisque ductibus compressis exprimitur mucus in naribus, saliva in ore. Quibus admixti, illi spiritus, eos humores statim in bullas, spumamque agunt atque ita ex ore copiosa spumam effluere efficiunt.

Eadem vehementia prouentes in vesicæ fibras excretorias, vesiculasque seminales, urinam ac semen ejaculari faciunt, in intestina feces protrudunt; nam in vesica fibras excretorias contrahentes serum propellent. In vesiculis seminalis, 1. semini mixtis sua præsentia seminis efficiunt orgasmum, atque ebullitionem. 2. In membranas statim prosilientes contractionem earundem ac per consequens seminis ejaculationem efficient, deorsum interim motum peristalticum incitantes influendo in fibras, feces excerni faciunt.

C

Quæ

Quæ cum ita fiunt, madet undique sudore, sæpe frigido, nec mirum, nam cum spiritus musculos membraque tam vehementer inflant, contenti, in tubulis partium, humores, per poros exprimentur, ac per superficiem corporis dispersi sudores illos faciunt, qui quia motus magnos non habent frigidi sunt. Atque ita omnia symptomata conjuncta proposita explicata videmus, cætera si quæ possent ulterius observari, facile ex eadem causa poterunt deduci.

Ab his jam ad consequentia procedentibus nobis inter hæc primum occurrit capitis gravitas. Hujus causa facilis est, nam discussio paroxysmo cum statim omnes acres & viscosæ particulae penitus per pororum angustias avolare nequeunt, sed plurimæ earum iis inhærere coguntur, illæ membranas vellicando ac gravitate sua premendo dolorem illum efficiunt.

Alterum sitis est; quicquid madore suo naturali privatae aërophagum faucesque, sitim inducere solet, hocque triplici modo.

1. Si destituatur sanguis sero, vel sero præsentem, glandularumque ductus obstruantur. Vel si nimium uno momento exernatur; ex his nobis facile sitis causa hoc in affectu dabitur. Non hic destituatur sanguinis sero, non hic obstructi ductus nec glandulae, sed vehemens spiritus in glandulas influxus, expulit serum, in spumam egit, at fauces solitam privarunt molliem, ac siti dederunt ansam.

Hoc porro spiritus furore, magnam eorum copiam dispergi debere nemo non videt, & quis cum ex superioribus habeat, ad motum muscutorum requiri magnam spiritus massam, non facile concipit, dispersis illis spiritibus, illum etiam motum difficiliorem debere reddi, in quo, cum lassitudo consistat, proinde lassitudinis ægri causa reperietur, & quoniam ex vehementi muscutorum inflatione, membranae istæ vehementius tenduntur, hinc paroxysmo discussio, ex illa tensione remanet dolor, & cum præterea spiritus valde acres sunt, hinc membranae multa acridine etiam refertæ sunt, unde incitatur dolor, & causa exurgit remanentis ossifragi illius cruciatus.

Nec minori facilitate ex his exsurget paralyticæ causa, crassæ enim illæ particulae in principia nervorum propulsæ, si tam vel copiosæ sunt, vel tam densæ, ut à spiritibus nec discuti,

nec

nec ab acredine dispergi, aut dividi, valeant, atque ita nervorum orificia iis liberentur, tubulos occludent, ac spirituum in musculos, & nervos profluxum plane destruentes, membris subjectis, sensum & motum, qui ab illorum influxu dependent, adiment, ac veram in illis membris producent paralyfin.

Quoniam autem ad corporis nutritionem perficiendam requiritur ut sanguis nutrimento partibus apto abundet, ut illius in partes effusi, particulæ filamentorum adhæreant radicibus idque adjuvetur sanguinis circulatione, spirituumque in partes influxu, quo partibus distensis, nutritiis particulis conceditur transitus, & se applicandi occasio. Jam autem, quando spiritus amplius in musculos non influunt, tubuli partium collabuntur, ac occluduntur, hinc aboletur succi nutritii in partes effusio, hinc se radicibus filamentorum applicandi demittitur occasio, quare partes, continuo à se multas particulas amittentes, nullis denuo succurrentibus in amissarum loca aliis, emaciantur, ac atrophiam concipiunt, cum autem dicto jam modo paralyfis oriatur in partibus, quis non videt destitutas illas, sua inflatione, ac per conseq. particularum nutritiarum appulsu in atrophiam facile concidere.

Porro si in nervum opticum crassior talis incidat materia, tubulos obstruens, ac spirituum influxum tollens, statim immobilis fit nervus, ac radiis luminaribus amplius vibrari nam valens, cæcitatem inducit.

Tandem Amentia provenit, cujus, ut aliorum, sic etiam facilis est ratio. Nam spiritus iteratis paroxysmis tam inordinate, ac in æqualiter prouentes cerebri, arteriarumque poros invertunt. Hinc continuo, inæqualiter diffusi, jam in hanc jam in illam partem, majori copia ruentes magnam pariunt confusionem, nam suo impetu aperientes vestigia varia, & antea cerebro impressa, jam animæ hanc, jam illam confuso modo exhibent ideam, quæ eas tanquam veras apprehendens, super eas discurret, quod cum nobis adstantibus quadrare non videatur, amentem illum hominem dicimus, cum revera non anima, quæ solummodo, de oblatiis judicat, sed corpus, ex quo illæ idæ oriuntur delirii causa est. Atque ita ex dicta causa omnem symptomatum syndromen deductam vide.

X X I I I.

Missis itaque causis & symptomatis explicatis procedimus ad causas procatarticas, ut quid illæ huic morbo producendo ad-
dere possunt videamus.

Inter has prima occurrit aër, hic crassitie multa scatens, & in corpus inspiratus sanguinem incrassare, obstructions parere, atque ita fermenti talis generationi ansam præbere facile potest.

Hoc idem faciunt somnus major, assumpta crassa, ac viscosa, acidisque facta, his enim crassus & acidus generatus chylus, qui sanguinis massam inspissando, ac obstructions parendo facile tale fermentum generare possunt, atque ita affectum nostrum producere.

Nec meliora speranda à retentis excretionibus, ut sunt feminis, hæmorrhoidum, mensum urinæ, sæcum alvinarum fuliginum capitis &c. His enim facile obstructions oriuntur halitus acres ad cerebrum & sanguinem mittuntur, atque ita Epilepsie productioni frequenter ansam præbent.

Atque ita hoc spatioso peragrato campo progredimur ad prognosin.

X X I V.

Ut itaque aspectu horrida, sic curatu difficillima iudicatu, melius tamen in juvenili, ubi humores segeti ac obstructions facilius superabiles sunt, quam in senili ubi omnia torpent, humores crassi sunt, spiritus deficiunt, ac medicamentis proinde nihil potest effici. Præterea hoc habet juvenus, quod si incidit ante pubertatem in hunc affectum, accessu illius vel sponte, vel levibus fugetur medelis, cum in illis qui eam prætergressi sunt raro, curetur. Quod notat hippocr. aph. 45. sect. 11. & sect. v. aph. 7.

X X V.

Ut tamen curetur observanda duplex curatio & in proximo, & post eundem.

Primam quod attinet, illa erit absolvenda 1. Præcavendo ne infortunio quodam patiens affligatur. 2. Mitigando conjuncta symptomata, eaque minuendo quantum, possibile.

Alteram porro absolvetur 1. Abmonendo agrum ut ab occasionibus cum valde commoventibus caveat 2. Massam sanguineam

neam corrigendo, ac ab omni acido viscoso quantum fieri potest liberando. 3: Cerebrum & nervosum genus confortando.

Primæ porro indicationibus satisfiet 1. ægrum nunquam solum relinquendo. 2. Adscendentem halitum si fieri potest, ligatura firmiori retinendo. 3. Custodiendo caput, linguam, brachia & erura.

Quod ultimum recte perficitur: Si statim adsint, qui caput comprehendant, & ab omni retineant concussionem, vel ei molle pulvinar subiciunt. Et statim si lingua ore primùm exseritur, durum intra dentes, solidumque corpus intrudant. Ut ita licet convellatur maxilla inferior, dentes tamen linguam attingere nequeunt, cum alià metus esset, ne vehementi illa maxillæ adactione præscinderetur. Ut iidem tandem corpus molliter vel in lecto, vel super pulvinaribus dispositum retineant, brachiaque, & crura, digitosque ab invicem deducant. Atque ita ea firmiter tenendo ab omni infortunio defendant. Qua ratione collocato ægro 4. Causa conjuncta emendabitur, ac minuetur. Omnibus medicamentis acris, sætentibus, & subtilibus vel ori instillatis, vel naribus admotis, vel temporibus, verticisque illitis. Qualia sunt tinctura Castor. ass. foetid. ol. C. C. foetid. ol. & sal. vol. succin. sp. sal ammon. cum. vel sine calce viva paratus. sal. vol. oleof. ol. cariophyll. mac. bals. peruv. ol. majoran. menth. &c. Quæ vel sola, vel mixta & in formulas redacta usui veniunt. His adde quæ discutiendo materiam in cerebro porro dissipant, ut sunt frictiones capitis spirituosæ & penetrantibus lotionibus &c. Cui succedunt, si nimis diu paroxysmus durat quæ sensibilibus materiam à nervis dejicere valent concussionem, ut sunt Errhina sternutatoria, ex Tabaco, Pyrethr. menth. majoran. saly. &c. Preparata pro formula autem balsami sequens erit.

℞. Ol. Majoran.

Menth.

Macis. still. ana gr. vij.

Succin. gr. ix.

Sal. vol. succin. gr. xv.

Pulv. Castor. ℞j.

Ol. nuc. Mosch. expr. q. s.

E. Bals.

Profternutamento & errhino

℞. Rad. pyrethr. ℥ij.

Fol. nicotian.

Majoran. ana ꝑß.

Sem. Sinap. ʒj.

F, Pulv. subtilissimus.

Quibus paroxysmo discusso, progredimur ad aliam curationem, hæc absolvetur ejusque indicationibus satisfiet. 1. Diæta quæ consistit in fuga omnis cibi, potusque crassi, sanguinemque inspissantis, & assumptione ciborum facile fermentabilium, ac conditorum aromaticis. His enim optimus generabitur chylus, cum interim particula aromatica cerebrum confortabunt ac sanguinem attenuabunt.

Quæ cum ita instituitur, à medicamentis 2. nequaquam abstinendum, sed serio conandum, ut id omne quod in sanguine ansam epilepsiæ dare potest tollatur, ac eodem tempore cerebrum roboretur, hic itaque 1. convenient omnia medicamenta ex triplici regno eruta valde subtilia, salino oleosa & spirituosâ, attenuantia, incidentia acidum imbibentia, & infringentia. Inter quæ primarium locum obtinent. Rad. veronic. Carlin. Valerian. Imperator. Spic. Celtic. & Indic. Pæon. lign. rhod. visc. quercin. &c. herb. omnes calidæ cephalicæ dictæ, ut Rosmar. Salv. Ruth. Majoran. Serpyll. Thym. Menth. Abrothan. Præterea omnia etiam aromata. Quibus tandem Sem. Pæon. Cardamom. cubeb. Amom. Carui &c. Cort. Citr. arant. Castor. secundin. human. ossa, dentes, cornua, plerorumque animantium Cinnabar. nativ. Sal, Vol. succin. cran. human. C. &c. Cerasa nigr. & eorum Sp: Fl. Lil. Conval. & tiliæ eorumque aquæ. Ambr. Mosch. & omnia olea still. Cephalica calida. Oc. porro cancr. limatur. chalyb. &c. acido imbibendo adaptata cæteris jungi possunt. Ex quibus omnibus aquæ anti-epilepticæ parari solent, Aq. vit. spirituof. Elixiria, decocta, Vina medicata &c. de quibus æger indies aliquid hauriendo massam sanguineam egregie corrigit. Quibus ideo ne maneant intra corpus 2. vel purgantia jungi, vel iis substitui possunt. Quæ junguntur sunt helleb. nig. polypod. quern. agar. trochiscat. jalap. hermodactyl. &c. quæ vero inter ponuntur, sunt additis continuo cephalicis, ex Res. Jalapp. agar. scammon. dia-grid.

grid. merc. dulc. trochisc. alhand. mass. pil. purg. cephal. &c.
2. Diaretica addi poterunt, ut illis unâ enim sero crassities
sanguinis educatur, ut sunt bacc. Junip. lig. junip. rad. gramin.
rusc. vincetox. &c. quibus expellitur serum, & una facile pra-
parata viscositas. Sic 3. Diaphoretica erunt præmissis necessa-
riis magni momenti, parata ex salibus volatilibus omnis ordi-
nis & conditionis ex hac medicamentorum copia quisque pro-
labitu multa composita & formulas concinnare potest. Et ne
nimis excrescat hæc disputatio pauca exempla adferemus. Sic
statim ac compertum est epilepsiam cepisse sedem vinum medi-
cat. seq. dari potest.

℞. Rad. pœon. Valerian. ana ℥ij.
Serpentar. Virg. ℥j.
Cort. Citr. ℥i℥.
Herb. Ror. mar. Majoran. ana Mj.
Fl. Lil. Conval. Lavend. ana p. j.
Sem. Cubebar. pœon. ana ℥ij.
Lig. visc. querc. ℥℥.
Aloës ℥iij.
Cariophyll. arom, ℥i℥℥.
Ambr. gr. iij.
Moschi gr. v.
Affunde Aq. Lil. Conval. & sp. ceras. nigr. ana q. s.
F. essentia.

Quæ dum paratur de sequenti potest assumere mixtura.

℞. Aq. Lil. convall.
Fl. Tiliæ ana ℥iij.
Sp. Cerafor. nigr. ℥j.
Sal. Vol. succin. ℥ij.
aromat. gutt. xxx.
Syr. Stæchad. ℥j.
M.

Tali autem vino medicato addi etiam possunt martialia, ut aci-
dum epilepticum feliciter infringatur: quo cum usus fuerit per
3. dies purgetur seq.

℞. Ref.

Ref. Agar.
Jalapp. ana gr. vij.
Merc. dulc. ℥ss.
Sal. vol. Succin. gr. iij.
Ol. Majoran. q. f.
F. Pilulæ.

Post harum usum ut excitetur diaphoresis:

℥. Antim. diaph. ℥ss.
Sal. Vol. C. C.
Succin. ana gr. xv.
Ol. Cariophyll. gr. ij.
Diascord. Fracast. ℥j.
F. Bolus.

Atque ita formulas curandi præscriptas habemus quarum in loco, centena alia possent, excogitari: Sed hæ exempli tantum causæ adductæ sufficiant.


Notandum autem, ut habeatur, curationis tempore, viscerum ratio; quoniam ab illis tale fermentum ascendere saepe solere comperimus. Sic si ventriculus gravatur vomitorium pro principio curæ potest adhiberi ex antimoniatis. Si alvus adstricta est statim purgatio præscribi debet, si menses obstructi, illi quantum pote referandi, & sic porro, additis semper cephalicis confortantibus. Atque ita cura absoluta filum nostrum deductionis occamus, ac huic exercitio imponimus

F I N E M.









00 A 6386


ULB Halle
002 912 18X


3



Sb.







O MEDICA
 RALIS
 E
PSIA.

30

A M
 OPT. MAX.
Sagisfici Rectoris,
ELINCURTII,
 dici, nunc verò in hac
 rum Antiquissimi,
 N O N
nici Consensu, & Alma
ICÆ Decreto,
 DOCTORATUS,
 Honoribus & Privilegiis
 consequendis,
ni subjicit
 OE, AMSTEL.-BATAV.
horâ loquoque solitis.



TAVORUM;
 M ELZEVIER,
 . MDC LXXXVIII.

